









1719.

1. Bauer, Johann Wolfgang : De justificacione arrabi
  - 2<sup>a</sup> Fichtner, Joh. Georgius : De perspectiva. Von den Winkel-Schemen. 2 Band.
  - 3<sup>a</sup> Fichtner, Joh. Georgius : De parte justitiae. 2 Band.
- 1714 - 1722

4<sup>a</sup> Hildebrandt, Henricus : Tractatus universorum  
Iam mores habentiorum compendiorum concisus. Serata.  
9 Sept 1714 - 1738.

5. Hoeger, Johann Christopher : De usua conscientia  
causa data, causa non secura.
6. Teob., Johann Georgius : De personis et culturam  
universitatis
7. Kretzschmar, Jo. David : De iudiciorum ethico politica Therese  
Standth

8. Lintzmayr, Johannes Tongus : *De observationia*  
9<sup>a</sup>, 10<sup>b</sup>, 11<sup>c</sup> Müller, Michael Christian : *De jure feminorum*  
12<sup>d</sup> sequela praefectoria persequunt'. 3 Band.
- 1744, 1742 et 1746
10. Raín, Sigismund Ferdinand : *De beneficio am-*  
*grandi ab religione.*
11. Rieder, Christopher O'Damns : *De privilegiis*  
*et iustis*
12. Rinck, Joachim Müller : *De aqua calida*  
*occasione legis et genitiae.*
13. Schwanquius, Christianus Gott : *De collegio*  
*atriculariorum.*





*16*  
G. 12 num. 28 B  
*1714* 8  
3.  
*1714*

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO IN AVGVRALIS  
JVRIDICA  
*DE*  
**OBSERVANTIA,**  
*QVAM*  
**SVB ALTISSIMI PRAESIDIO,**

*MAGNIFICI*

**JCTORVM**

IN VNIVERSITATE ALTDORFINA  
**ORDINIS**  
BENEVOLO INDVLTV,

**PRO LICENTIA,**

SVMMOS IN VTROQVE JVRE  
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTORALIA

RITE CONSEQVENDI,

AD D. XVIII. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCXIV.

H. L. Q. C.

PVBLICO ET SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT

**JOHANNES GEORGIVS Linßmayer/**  
NORIMBERGENSIS.

ALTORFII,  
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

KÖNIGFRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE



ILLVSTRIS S. ROM. IMP. LIB. REIPVBLCAE  
NORIMBERGENSIS  
**SENATVI ILLVSTRI,**  
**VIRIS**  
GENEROSISSIMAE PROSAPIAE AN-  
TIQVITATE, MERITIS ERGA IMPERIVM  
ET PATRIAM, TVM RERVM GERENDARVM  
ET REGIMINIS SOLENTIA ATQVE PRVDENTIA  
VNDIQVAQE SPLENDIDISSIMIS,  
**DOMINIS**  
DVVMVIRIS,  
TRIVMVIRIS,  
SEPTEMVIRIS,  
SCHOLARCHIS,  
CONSVLIBVS  
RELIQVISQUE  
**SENATORIBVS,**  
*PATRIAEPATRIBVS PIIS, FELICIBVS,*  
DOMINIS AC MAECENATIBVS SVIS GRATIOSISSIMIS,  
PERPETVVM FORTVNAE INCREMENTVM,  
AVSPICATAM REGIMINIS DIVTVRNITATEM,  
AETERNVM FAMILIARVM SPLENDOREM,  
EA, QVA PAR EST, DEVOTISSIMA MENTE  
HVMILIIME APPRECATUS,  
SPECIMINE HOC ACADEMICO INAUGVRALI  
**EORVM CLEMENTIAE**  
SESE SVAQE STUDIA SVBMISSISSIME COMMENDAT  
OBSEQUIOSISSIMVS CLIENS  
AVTOR.

3.

---



DISSSERTATIONIS INAVGURALIS  
DE  
**OBSERVANTIA**

CAPVT I.

*Exhibens Generalia de Observantia.*

§. I.

Octrinam de Observantia & utilissimam & maxime necessariam esse, nemo, credo, inficias ibit, testantur id non solum innumeræ Doctorum, imprimis Practicorum, authoritates, sed & experientia ipsa, optima rerum magistra, idem satis confirmat. Mirum ergo, quod circa tam utile ac necessarium argumentum tot occurrant dissensiones, tot difficultates fere insuperabiles: et enim si Commentatores ad §. 3. *Inß. de J. N. G. & C.* nec non ad *tir. ff. de L.L. & C. qua sit long. consuetud.* perlegas, liisque ex Scriptoribus Practicis jungas ea, qua Besoldus, Lynkerus, Harprechtus, Schultesius, Cravetta aliique de Observantia annotarunt, diversos variosque subinde conceptus tam circa generalia, quam specialia hujus doctrinæ capita reperies, norante Kulpisio de Observantia Imperiali c. 1. §. 4. seqq. Non inanem

hinc operam me suscepturn esse arbitratus sum, si exantatis consuetis Scrutaminibus, Incluti JCTorum Ordinis permisso so-  
lenniter ventilanda hac Dissertatione Inaugurali naturam Ob-  
servantiae paulo attentius expenderem; ejus tamen non sum  
arrogantiae, ut mihi persuadeam, à me aliquid proficisci posse,  
quod ad ingeniose illustrandam & accuratiori judicio ordinan-  
dam hanc difficultem doctrinam pertinere possit; sed cum hæc  
scriptio saltem exercendis ingenii viribus, & exhibendo præ-  
fato Specimini destinata sit, id unice intendo, ut Benevolo Le-  
ctori demonstrem, quo ordine & qua serie ego Observantiae  
materiam animo conceperim. Tractationis autem meæ me-  
thodus hæc erit, ut primum Generalia, quæ de Observantia no-  
tanda veniunt; deinde Specialia ejusdem paucis, pro instituti-  
ratione, investigem.

### §. II.

Vocabulum *Observantia* in generali significatione synony-  
mum est consuetudinis, ceu fatetur Kulpinus cit. *Dissert. c. 1.*  
*§. 7. circa finem*, in verbis: *Observantiam accurate loquendo*  
*consuetudinem esse &c.* & in *§. anteced. 6.* verbis: *apparet in-*  
*super confundi vulgarem vocis sensum, cum excellentiori;* unde  
liquet ipsum non negare, in vulgari loquendi usu observantiam  
& consuetudinem pro synonymis haberi. Hoc in sensu pro-  
miscue etiam usurpat utrumque vocabulum *Illustr. Dn. Thomasi* in *Diss. de Jure consuetudinis & observantiae*, ac sub  
eadem definitione d. *Diss. §. 6.* comprehendit. Fuerunt &  
inter antiquiores JCTos, qui consuetudinem, usum communem,  
observantiam & stylum curiæ pro iisdem habuere, ut præter  
Angelum Aretinum, Antonium de Butrio, Johannem Fabrum  
aliasque testatur Boërius *Consil. 8. n. 1.* pariter usum, consue-  
tudinem & observantiam Klock. *de Contribut. c. 20. n. 91.* atque  
Carpz. *Reffons. 40. n. 16.* & seqq. fere promiscue acceperunt.  
Nec minus Rhetius in *Instit. Jur. Publ. L. 1. tit. 1. §. 24.* as-  
serit, jure Cæsareo usum, observantiam & consuetudinem non  
raro

raro pro iisdem sumi, nec Imperii consuetudines multum inter  
 eadem distinguere; quanquam ob ultimam assertionem nota-  
 tus sit à Kulpisio d. *Dissert. c. I. §. 6.* Num autem recte, an mi-  
 nus, non euro. Dum vero idem Vir celeberrimus cit. loc.  
 tradit, quod in *Legibus Romanis* vox Observantiae pro synonymo  
 consuetudinis plane non capiatur, sed semper fere præsuppo-  
 nat legem aliquam sive jus jam constitutum, aut negotium ex-  
 pressa voluntate adornatum, cuius usus insecurus, adeoque le-  
 gis illius, vel negotii executio, aut exercitium in actum ali-  
 quem degressum voce ista denotetur, vix est ut in eo ejus sen-  
 tentiae adstipuler. Nam (1) ejus dubitativa scribendi ratio:  
 semper fere indicat, eum ipsum dubitasse, num ejusdem affer-  
 tum indistincte calculum mereatur. (2) in L. 37. ff. de LL.  
 quam sedem esse dicit Observantiae, quæ legem interpretatur,  
 nomen ipsum observantiae, prout ipse Kulpisius fatetur, diserte  
 non exprimitur, sed dicitur: *Optima Legum interpres est con-*  
*suetudo.* Quemadmodum autem inde minime concludi po-  
 test, vocabulum consuetudinis in LL. Romanis semper fere  
 presupponere legem aliquam sive negotium, ac illius legis vel  
 negotii executionem significare, cum famosior sit alter signifi-  
 catus, quo jus non scriptum denotat; ita multo minus argu-  
 mentum inde formari potest ad vocabulum observantiae, ut  
 pote quod ibi plane non occurrit. (3) Rationem dissentendi  
 suppeditat L. I. §. 10. C. de *Vet. Jur. Encl.* juncto §. ult. *Inst.*  
 de *satisd.* Siquidem in priori textu ita loquitur Justinianus: *Hac*  
*tantummodo obtainere volumus, que vel judiciorum frequentissi-*  
*mus ordo exercuit, vel longa consuetudo hujus alma approbarit,*  
*secundum Salvianè scripturam, que indicat debere omnes civita-*  
*tes consuetudinem Rōmæ sequi.* Ubi in prioribus verbis con-  
 suetudo pro jure non scripto habetur, expresseque contradic-  
 tinguitur exercitio & usui legum sive juris scripti; deinde in  
 postremis hujus textus verbis hæc duo conjunctim sub generali  
 vocabulo consuetudinis comprehenduntur. *Inspectio autem*

textu posteriori §. ult. *Inſt. de Satisdat.* hæcce verba oculis nostris subjiciuntur: quum necessè sit, omnes provincias caput omnium nostrarum civitatum hanc regiam urbem, ejusque observantiam sequi. Quis non videt h̄c eadem, quæ per vocabulum consuetudinis in superiori loco indicabantur, observantiae vocabulo inclusa esse; hincque ea pro synonymis in ipsis Juris Romani textibus usurpari. Scio equidem Dd. in hoc §. intelligere tantum legum latarum observantiam, cum in præcedentibus textus verbis præscribatur forma satisdationis; sed quid quæsto prohibet æque in latiore sensu de observantia tam juris non scripti, quam scripti capere isthanc generalem juris constitutionem, ac ipsa modo memorata *L. 1. C. de Vet. Jur. Encl.* & insuper *L. 3. 2. ff. de LL.* accipienda venit, quando ibi dicitur, quod in casu, si & jus scriptum & mores deficiant, jus, quo urbs Roma utitur, servari oporteat? Imo generalem hanc & consuetudinis vocabulo æquipollentem observantiae acceptionem etiam ipsi Juris Interpretes confirmant, dum ex d. §. f. *Inſt. de Satisdat.* deducunt decisionem quætionis: An judicia inferiora sequi teneantur observantiam seu stylum Curiæ judicij superioris? Si enim verba illius §. saltem de legum latarum observantia intelligenda sunt, inde ad stylum Curiæ, qui fatentibus omnibus est juris non scripti species, ac consuetudo appellatur B. Hopp. ad §. 9. *Inſt. de J. N. G. & C. n. 2.* vel minime concludendum est. Utut ergo Kulpisius dicto loco existimet, etiam verbum: *observari*; ferè in universum nihil aliud esse, quam secundum Leges fieri, earumque præscripto obedientiam præstare, tutius tamen afferendum videtur, *observari* in universum etiam in LL. Romanis dici tam de eo, quod secundum Leges fit, quam de eo, quod secundum consuetudinem regulatur.

## §. III.

Cæterum non est diffitendum, ambiguam esse vocem observantiae pariter ac vocabulum consuetudinis. De ambiguitate

3 7

¶ 7. ¶

tate consuetudinis distincte egit B. Titius , qui diversas ejusdem acceptiones recenset in *Jure Privato Rom. Germ. Cap. 7.* §. 2. 3. 4. quarum pleraque fere ad observantiam applicari possunt, ut nihilominus tamen & ipsa à consuetudine distincta maneat B. Stryk. de *Stylo Curiae c. I. n. 60.* & seqq. Sic accipitur ea (1) pro pacto tacito , (2) pro legum latarum viridi applicatione , (3) earum neglectu , (4) interpretatione , (5) pro observantia unius hominis , qualis locum habet in usucapione & præscriptione , (6) pro nudo actuum exercitio , vi obligandi destituto , (7) pro lege non scripta ex actibus subditorum ad scientiam Superioris perlatis , & tacite approbatis orta , qua in postrema significatione potissimum à me sumitur , quamvis acceptiōem (2) & (4) loco contentam non penitus excluderim , ceu ex *Cap. II.* hujus Dissertationis infra innotesceret . Possimus eam itaque sic definire , quod sit species juris non scripti , tacita Legislatoris voluntate introducta , sese tam circa negotia extrajudicialia , quam judicialia regulanda exhibens .

§. IV.

Dividitur observantia itidem ac consuetudo variis modis , (I.) ratione Subjecti in *universalem* , quæ omnes omnino subditos stringit , & talis est vel intuitu totius Imperii , quo pertinet Observantia generalis Dn. Kulpis. cit. loc. & Magnif. D. HILDEBRAND , Fautor ac Promotor studiorum meorum omnè honoris cultu prosequendus , *Introd. in Princip. Juris in proœm. c. 3. §. 18.* vel intuitu terrarum , quæ Statibus & Membris immediatis Imperii subsunt ; quamvis & hæc in relatione ad totum Imperium suo modo etiam particularis dici possit ; & in particularem item localem , quæ certi loci subditos duntaxat respicit . (II.) in *publicam* & *privatam* . Privata est , quæ ex actibus privatis circa instrumenta contractuum & testamento rum inducta est , si de interpretatione communi fuit dubitatum . Tabor de *Confrontatione part. I. §. 17.* seqq. citante Kulpiso



pisio d. l. §. 4. quæ tamen observantiae species admodum impropria erit. Publica autem est, quæ vel ex actibus publicis circa regulanda Imperii negotia ab Imperio ejusque capite & Proceribus sicut introducta. Dn Kulpis in *Dissert. de Observantia Imperiale per tot. vel ex actibus publicis tam judicialibus, quam extrajudicialibus circa privatorum negotia subinde retenta.* Atque ex hoc posteriori membro sicut (III.) divisio observantiae in *judicialem & extrajudicialem.* Illa est, quæ moribus & actibus judicialibus constat, hæc quæ in moribus extrajudicialibus consistit. (IV.) Dividitur in *rationabilem & irrationalabilem.* Illa est, quæ naturali rationi non adversatur, hæc quæ offendit legem naturæ, & quæ quoad effectum ipso jure nulla est, arg. eorum, quæ habet Müller. ad Struv. S. J. C. Exerc. II. th. 20. not. d. Sæpe tamen r̄tos quispiam pro irrationalibili observantia habetur, qui revera talis non existit. Porro ea (V.) est vel *affirmativa*, quæ statuit aliquid faciendum, vel *negativa*, quæ statuit aliquid omittendum. Nec minus (VI.) ea est vel *juris presumptiva*, vi cuius jus vetus adhuc vigeat præsumitur, vel *juris novi induc̄tiva*, aut juris duntaxat *interpretativa.* Ad hanc ultimam pertinent elogia Dd. quæ observantiae attribuunt, dum eam appellant fidissimam legum, statutorum, privilegiorum, paſtorum, testamentorum interpretem, imo reginam omnium interpretationum. Adde sis denique (VII.) divisionem B. Titi quam habet §. 6. cit. loc. in *dispositivam*, quæ de novo aliquid constituit, quam supra appellavi juris induc̄tivam, *correctivam*, quæ vel leges latas corrigit, vel tollit ac contrarium sanctit, sed & hæc species ineſt juris induc̄tivæ; nec non *privativam*, quæ legem simpliciter abrogat.

## §. V.

*Causa efficiens* observantiae est tacita Legislatoris voluntas. Præsupponit vero illa tacita voluntas scientiam, quod actus illi, ex quibus observantia elicetur, ad notitiam Legislatoris pervenire.

3

pervenerint. Hinc observantia non subsistit, si actus ita clandestini fuerint, ut ad superioris notitiam pervenire haud potuerint, quamdiu enim hic probabiliter id quod actum est ignorat, haud dicendum est, ejusdem patientiam & voluntatem tacitam adesse; & sicuti ignoti nulla est cupidus, ita neque expressa neque tacita approbatio. Eo magis autem scientia Superioris opus est, ratione introducenda observantiae, quo minus haec ad sui existentiam tot actus & tantum tempus, ut consuetudo requirit, in quo cumprimis formalis differentia observantiae & consuetudinis consistit, quamobrem illa, quae alias de consuetudine dicuntur, quod summa potestas scire praefumatur, & lubens permittere, si actus frequenter & diurno tempore fiant, Struv. S. J. C. Ex. 2. th. 20. ex modo dicta ratione ad observantiam non ubique quadrant, sed actus in observantia introducenda ita debent esse comparati, ut constet eos revera ad Superioris scientiam perlatos esse. Ex sententia quidem B. Titii in *Jurisprud. Priv. Rom. Germ. cit. c. 7. §. 5.* ad constituendam consuetudinem exiguntur (1) actus subditorum, (2) confirmatio Superioris, (3) decretum ex illis ordinatum, ac futurum usum respiciens. Quae requisita ad observantiae introductionem ita supposita superiori meo aserto, quod observantiae causa efficiens sit tacita Legislatoris voluntas, contrariari videntur. Sed salva res est. Nam quoad requisitum primum nullum est dubium: Actus subditorum omnino requiri aequi ad introducendam consuetudinem ac observantiam, ad hanc tamen pauciores actus, & brevius tempus quam ad illam. Quod porro secundum requisitum, confirmationem Superioris, attinet, hic notum est, confirmationem esse vel expressam vel tacitam. Hanc tacitam utique adesse debere, & ego existimo, unde quoque observantiam, morem, tacita Legislatoris voluntate approbatum dixi, sed vix est, ut cum laudato Titio loc. cit. §. 19. & 21. expressam ejusdem voluntatem admittam. Utut enim regereret, posse evenire casus, ut actibus subditorum

expressa Superioris confirmatio accedat , & tunc utique obtinere vulgatum illud , quod ubi constet de consensu expresso , non opus sit querere de tacito ; attamen si ejusmodi casus expressæ confirmationis existat , ille neutiquam referendus erit ad consuetudinis vel observantiae introductionem . Aut enim imperans imploratus confirmationem impertit , & quidem vel super re & actu dubio in contradictorio adhuc versante , tunc confirmatio nihil aliud est , quam decisio causæ ex plenitudine potestatis Principis facta ; vel super actu aut negotio aliquo extrajudiciali , tunc illa confirmatio referenda erit ad classem privilegiorum ; harum confirmationum neutratamen trahenda erit ad consequentias & casus futuros , nisi expressa voluntas Principis adsit , ut etiam futura negotia hac regulentur , ast tunc non obligat hæc confirmatio tanquam observantia , aut consuetudo , sed tanquam Lex scripta . Aut imperans confirmat actus quosdam subditorum non imploratus , sed spontaneo motu ; Id vero non siet , nisi in casu , ubi Princeps habet animum tali confirmatione etiam actibus futuris normam praescribendi , quo casu haud dubie semper addita erit clausula expressa , quod in casibus similibus futuris idem jus debeat servari . Sed hic iterum juris scripti species adparebit . Unde liquet , ejusmodi requisitum expresse confirmationis ad doctrinam de consuetudine & observantia vix applicandum esse . Ex modo præmissis facili quoque negotio de ultimo ac tertio requisito supra supposito , scil . de Decreto futurum usum respiciente judicari potest , nam decreto expresso de usu futuro accedente , iterum legem expresse scriptam habebis , quod & ipse D . Titius non negat , dum § . 21 . dicit : illud ( scil . confirmatio ) fit expresse , hoc ( scil . decretum ) tacite , quod si sententie discrete adjiciatur , quod deinceps velut norma communis observari debeat , tum non consuetudo ( item observantia ) sed lex expressa exoritur , quo ipso tam definitionem consuetudinis , quam cap . cit . 7 . § . 5 . posuerat , quod scil . nihil aliud sit , quam decretum ex actibus subditorum

3  
E

torum confirmatis exortum, ac in vicem normæ subditis propositum, ipse iterum destruere videtur. Sed de his satis. Cum itaque hisce in contrarium obmotis minime officientibus tutæ & firma satis manserit assertio mea, quod causa efficiens observantia sit tacita Legislatoris voluntas, quæstio oritur: Num etiam tacita magistratus inferioris voluntate introduci observantia possit? Sine dubio negativa responsio verior habenda est, cum magistratui non competit potestas legislatoria, nisi ponamus hanc facti speciem, quod magistratui urbico à Principe relicta sit potestas leges ferendi, v. g. circa determinandum pretium esculentorum & potulentorum, &c. id quod in multis municipiis ita dispositum invenire licet, hoc in casu tacita magistratus inferioris voluntate circa ejusmodi negotia observantiam introduci posse, haud inficiamur.

### §. VI.

Quoad Objectum & Subjectum Observantia nihil occurrit specialiter monendum. Sed omnes illi, qui legibus & consuetudine obligantur, vinculum obligationis etiam nanciscuntur ex observantia, & de quibus actibus fieri potest lex, & existere consuetudo, de iis etiam Observantia obtinere potest. Cum hisce in passibus à jure scripto ad non scriptum ejusque species omnes firmissima valeat consequentia. Id solummodo circa generalia adhuc restare videtur, ut formam observantia & effectus ejusdem potiores perlustrare haud supersedeamus. Quæ tractatio vel ideo hic maxima necessaria, ne quis ex hac tenus dictis objiciat, nullam plane inter consuetudinem & observantiam intervenire differentiam, adeoque lusum saltem esse in terminis, & quod alii consuetudinem appellant, me observantia nomine insignire. Videamus ergo utriusque formam & differentiam. Ad formalia requisita consuetudinis pertinet actuum frequentia & diuturnitas temporis. Struv. S. J. C. Exercit. 2. th. 20. Lauterb. Coll. Theoret. Pract. ad tit. de LL. §. 35. 36.

Actus debent esse spontanei, publici, continuū, uniformes. Lauterb. c. l. §. 37. 38. 39. Müller. ad Struv. d. l. Jam si obseruantiam examinamus, appareat quidem, actus debere esse spontaneos, publicos, uniformes, sed eorum frequentia & diuturnitas temporis non requiritur, prout Illustr. L. B. de Lyncker *Respons. 55. num. 19. & seqq.* nec non Dn. D. Hildebrand. *Introd. in Princip. Juris p. 57.* speciatim notarunt. Quot autem actus hic sufficient, an unus, an duo &c. ea de re infra *Cap. seq. pluribus agam.*

## §. VII.

Paucis porro indicandum venit, quomodo observantia & stylus curiae inter se differant. Observantia versatur circa negotia tam judicialia, quam extrajudicialia, uno verbo circa materialia sive merita causae, ceu JCtorum schola loquitur. Stylus curiae autem occupatur saltem circa formalia sive modum & ordinem procedendi in judicio. confer. B. Stryk. *Dissert. de Stylo Curiae c. I. n. 63. & seqq.* Cæterum aut tantum stylus curiae summorum judiciorum pro lege tacita habendus sit, cui subditi in iis agentes se attemperare debeant, ille autem, qui in inferioribus judiciis obtinet, & à judicantibus adhibetur, ejusmodi vi obligandi destituatur, non incongrue hic quereritur? Utrumque affirmandum videtur, ex doctrina B. Titii c. l. §. 3. 4. ubi stylo, qui in inferioribus judiciis obtinet & à judicantibus adhibetur, vim obligandi denegat. Verum ut taceam, quod ipse fateatur, circa hanc magnam plerumque superstitionem occurrere, ipsa experientia satis evincit, quod etiam in inferioribus judiciis stylus curiae vim legis tacita omnino habeat, cui non minus agentes tali in judicio &que se attemperare tenentur, quam ei, qui in supremis curiis occupantur. Ad minimum coguntur per indirectum ei se conformare, si causam propria culpa nolint protrahere vel etiam amittere. Etenim scio, quod in Praefectura quadam, ubi mos viget, ut actor rei contumaciam accusaturus provocationem integrum accusationi præmit-

præmittat, actoris accusatio, qui provocationem omiserat, pro-  
non facta fuerit declarata.

### §. VIII.

*Effectus observantiae generales iidem sunt, qui consuetudi-  
nis. Quemadmodum autem hujus eadem est efficacia, quæ  
legum scriptarum, consistens in imperando, vetando, permit-  
tendo & puniendo. L. 7. ff. de LL. Lauterb. Coll. Theor. Pract.  
ad tit. de LL. §. 43. Müller. ad Struv. S. J. C. Exerc. II. th. 22.  
ita eadem virtus observantiae tanquam speciei juris non scripti  
tribuenda est. Sed de his aliisque observantiae effectibus in  
sequentibus infra plura sum in medium prolaturus.*

### CAP. II.

#### *De Observantia tam judiciali, quam extrajudiciali in specie.*

##### §. I.

**C**um in §. ult. Capitis præcedentis dictum sit, effectus  
observantiae generales consistere in imperando, vetan-  
do, permittendo & puniendo, eamque instar Legis scri-  
ptæ efficaciter obligare, inde sua sponte nunc fluit ra-  
tione observantiae judicialis, quod judici incumbat secundum  
eam judicare, ejusque effectus in actum deducere. Frustra e-  
nim foret potentia, quæ non deducitur in actum, & injunctum  
est etiam illud Judici expresse in pr. Inst. de Offic. Jud. & Avth.  
jubemus. C. de Judic. dum dicitur, quod non aliter judicare de-  
beat, quam legibus aut constitutionibus aut moribus proditum  
est; sub quo posteriori vocabulo procul dubio etiam observan-  
tia ex regulis bonæ interpretationis, secundum ea, quæ supra  
Cap. I. §. 2. dicta sunt, comprehenditur. Ea saltem intercedit  
differentia, ut primo loco attendere debeat ad jus scriptum in

fententia dicenda , & postea ad jus non scriptum & observantiam. Et hoc etiam confirmatur in L. 35. ff. de LL. in verbis: Sed ea , quæ longa consuetudine comprobata sunt , ac per annos plurimos observata , velut tacita civium conventio , non minus quam ea , quæ scripta sunt jura servantur.

## §. II.

Est autem Observantia judicialis hec in specie consideranda nihil aliud , quam usus sive mos judicis , retro sive antea receptus , idem jus in similibus subsequentibus casibus & causis decidendis statuendi , ac antecedenter in aliis ejusmodi casibus & causis similibus fuit observatum , arg. L. 35. L. 37. ff. de LL. Bockelmannus ad ff. tit. de LL. §. 38. generis loco in observantia nostra judiciali describenda ponit , quod si frequentatior actuum quorundam in judicio in futurum judici servanda ; Sive autem hanc , sive illam à me supra traditam sequaris , meo judicio perinde erit , cum ubique satis appareat , usum fori frequentatum præbere normam futuræ causarum & negotiorum decisioni , idem jus eidem applicandi , idque non injuria , cum etiam judicialis observantia , undecunque suam originem habeat , à judice insuper haberi , aut propterea negligi minime queat . Caspar Ziegler. in Dicastic. siv. de Offic. Judicis Concl. 36. §. 31.

## §. III.

Tripli citer autem hanc nostram judicialem observantiam intuendam autumo (I.) vel quatenus est juris *presumptiva* ; (II.) vel quatenus est juris novi constituendi *inductiva* ; (III.) vel quatenus est juris jam constituti *interpretativa* . Prior nempe observantia juris *presumptiva* est talis usus , qui *presumitur* pro vigore juris scripti semel antea recte introducti & recepti , donec probetur contrarium. arg. Ord. Cameral. P. 1. tit. 13. pr. & tit. 57. Recess. Imp. de An. 1654. §. 105. Mevius ad Jus Lübec. quest. prælim. 7. n. 8. & P. 3. decis. 323. Carpz. P. 2. dec. 101.

Har-

Harprecht. *Consil. Tubing.* 18. n. 338. Illustr. L. B. de Lynker. *Cent. 3. Decis. Jenens.* 292. Altera (observantia scil. judicialis) juris novi inductiva est, qua jus novum in judiciis introduceatur, & factis occurrentibus applicatur. Denique posterior observantia juris interpretativa est, qua jus jam constitutum duntaxat per subsecutam similem, vel aliam decisionem declaratur, confirmatur & explicatur, ceu post Aymonem Cravett. *Consil. 828. n. 11. Decian. Vol. 1. Consil. 44. n. 28.* ita observantiam considerat distinctim Illustr. L. B. de Lyncker *Reff. 108. n. 13. & 14.* Juris inductiva frequentatione actuum judicialium innixa, si longo tempore stipata deprehenditur à consuetudine parum differt, viisque legis habere censemur, Illustr. L. B. de Lyncker. *Cent. 10. Decis. 998. inf.* nisi quod consuetudinis indeoles tam lata, tamque ampla sit, ut non modo negotia judicialia respiciat, sed & extrajudicialia; ast observantia nostra judicialis duntaxat versatur circa causas & casus in judicio ad similem normam decidendos, reflectitque judiciorum materialia seu merita causæ. Bœckelman. *ad ff. tit. de LL. §. 38.* Lyncker *cit. Decis. 998. inf.*

#### §. IV.

Constat autem ex hac usque adductis, quod ad observantiam judicialem juris inductivam constituendam potissimum requirantur res judicatae sive sententiæ actusque judiciales. arg. *L. 35. & 38. ff. de LL. Bœckelman. ad ff. tit. de LL. §. 3.* non fecus ut in alia consuetudine introducenda quoque actuum frequentia requiritur, ut eo magis hinc tacita Legislatoris voluntas colligi & induci possit; pervenisse enim ejusmodi actus multifarii admissi putantur in juris conditoris notitiam, ipseque tacendo in eosdem consensisse, arg. *L. 1. C. que sit long. consuetud. L. 3. C. de privileg. adfide. L. 3. & seqq. ff. de LL. Lauterb. Concl. Forens. Exercit. 2. th. 8. & 9.* Licet proinde alii ipsius Legislatoris scientiam & consensum ad ejusmodi judicialem observantiam inducendam haud requirere videantur per cap. 1. de *Constit.*

*Constit. in 6to. uti sentit Zœsius in Commentar. ad ff. sub tit. de LL. n. 18. Verius tamen & rectius meo judicio illos statuere arbitrор, qui non præsumptam solum scientiam ejusdem in nostra observantia introducenda exposunt, sed & positivam præsupponunt, ex qua ipsius tacitum & præsumptum consensum quoad introducendam observantiam deducunt, quo pertinet illud, quod statutum & ejusmodi observantia judicialis ab effectu æquiparentur, quemadmodum enim ad Statutum scientia requiritur & consensus, sic etiam positiva scientia & consensus tacitus ad observantiam exigitur. Facit huc c. 9. q. de Consuetud. ubi ad novas consuetudines seu observantias inducendas Episcopi consensus requiritur. Uti autem in illo textu per consensum non præcise expressus, sed tacitus intelligitur, ita tamen simul inde colligi potest, quod consensum necessario præcedere debeat scientia positiva; absque hac enim neque expressus, neque tacitus consensus existere potest.*

## S. V.

Sed quot præcise actus judiciales, res judicatae sive sententiae nostram judiciale obseruantiam efficiant, de eo non conveniunt inter se Iurium Interpretes; duas consimiles in eodem litis genere sententias obseruantiam seu consuetudinem judiciale haud facere arbitrantur Cujac. L. 20. Obs. 1. & Dominic. Arumæus ad ff. Diff. I. n. 11. Imperator Severus enim rescripsit: In ambiguitatibus, que ex legibus proficiuntur, consuetudinem aut rerum perpetuo similiter judicatarum autoritatem vim legis obtinere. L. 38. ff. de LL. Perpetuitas requirit continuum usum, qui si eodem modo se semper habuerit, res ita judicatae transiunt in consuetudinem, judicesque in similibus causis obligant, & vim juris sortiuntur. Arthur. Duck. in conclus. L. 1. de Author. Jur. Civ. n. 5. à quo tamen vix capere licet, quid sibi velit, dum in sequentibus dicit, res eodem modo similiter & perpetuo judicatas obstringere judices ex vi consuetudinis, & non quod juris

juris partem constituant. Sane si vim juris sortiuntur, sive ex vi consuetudinis obligant, quod utrumque assertum ab eo fuit, cur non & juris partem constituant, cum ipsa consuetudo jus sit, & partem juris faciat. Ziegler. de Off. Jud. concl. 36. §. 16.

## §. VI.

Licet equidem veritas hujus doctrinæ, qua Interpretes ad Observantiam juris inducтивam plures quam duos actus judiciales sive consimiles sententias in similibus causis & casibus enunciatas exigunt, de Jure Civili neganda sit vel minime, cum frequentia actuum in L. 1. C. que sit long. consuet. postulata, dualitate vix ac ne vix quidem absolvatur; attamen in Praxi ad observantiam judicialeм etiam duos actus judiciales, duasque sententias consimiles in simili causa sufficere omnino admitto cum Carpz. in Jurisprud. Forens. P. 2. Const. 3. def. 22. n. ult. Schultes. L. 2. quest. 78. n. 24. Harprecht. Resp. 31. n. 77. & 78. quodcunque enim de genere prædicatur, id etiam prædicandum est de specie, cum hæc illi semper insit. L. 147. ff. de R. J. Nam si hodie duos actus generaliter ad consuetudinem introducendam sufficientes putantur. Lauterb. Concl. For. Exerc. 2. th. 9. Harprecht cit. Resp. 31. n. 77. & 78. quidni etiam ad observantiam judicialeм juris inducтивam; cum hæc parum à consuetudine abeat, si scil. sunt aperti & publici, ita ut appareat Legislatorem ac Superiorum hinc nactum fuisse notitiam, eosque sua taciturnitate & acquiescentia, omissa contradictione adprobasse.

## §. VII.

Quanquam aliа res judicatae nec legem efficiant, nec in similibus causis ad necessitatem similiter judicandi judicem obligent, cum partim minima circumstantia jus ita variet, ut alia decisione egeat, partim vero nec aliis præjudicium, ut res inter alios acta & judicata, faciat. L. 63. ff. de re judicata. L. 1. & L. 2. C. quibus res judicata non nocet. & tot. tit. C. res inter alios acta, vel judicata aliis non nocere. Et hinc in genere de ejusmodi sententiis alibi latis constitutum legatur, non attendi eas in judicando debere. L. 13. C. de sentent. & interlocut. Verumenim-

C

vero



vero ea omnia exaudienda & accipienda sunt de rebus judicatis singulatim & seorsim considerandis, & quatenus eae legibus in contrarium extantibus non debent in judicando præferrri, & singulatim ad observantiam inducendam allegari; secus autem se res habet in sententiis & judicatis, ubi in defectu juris clari præscripti, duntaxat analogiam juris vel æquitatis diu in foro in similibus causis & judicis Judex est securus, ex quibus ceu rebus perpetuo similiter judicatis in defectu juris clari & expressi adhuc vigentis consuetudo judicialis est exorta. Ziegler. in *Di-cast. concl. 36. §. 25. in pr. & 26.*

## §. VIII.

Eo minus autem de efficacia nostræ observantie juris inductiva ambigendum venit, si ea insuper longo tempore circumvallata ostenditur, quod tunc vim legis habeat, eo minus quid scrupuli restat ob L. 38. ff. de LL. & Recess. Imp. de An. 1570. §. 75. & 76. ubi verba: Derohalben aus rechtlichen Bedenken und Vergleichung gemeiner Stände und Abgesandten / wollen wir hiemit Cammer-Richtern und Besitzern auferlegt und gebotzen haben/hinsiuro den lobl.alten Brauch und Stylum unsers Kaisserl. Cammer-Gerichts / wie es jederzeit auf sie bracht / unverhindert zu lassen / sondern denselben sowol in decernendis processibus als decisionibus causarum zu folgen. Siquidem ejusmodi observantia ipsius Principis ceu supremi Magistratus ordinationi æquipollit, ut ex Hyppolit. Riminaldo, Schurffio, nec non Carpz. in *Jurisprud. Consistor. L. 2. def. 155. n.s.* videre licet.

## §. IX.

Uitut talis observantia juris inductiva vim juris habeat, tamen in eo à jure scripto abit, quod jus scriptum probari non debeat, sed duntaxat allegari. L. 2. de jur. & facti ignorant. observantia hæc autem probari debeat, quia species consuetudinis est. Perez. ad tit. C. quæ sit long. consuetud. n. 5. Struv. ad tit. de probat. th. 8. Huc faciunt, quæ hanc in rem habet Illustr. Dn. de Lynker. cent. 6. dec. 537. in verbis: Dieweil das Lehren-Geld in Erb-Fällen an sich verhaft / und dahero bey ereigneten Zweiffel / billich darwider gesprochen

hprochen wird : auch nicht nur die von Klägern angegebene Zeugen zum theil ausdrücklich sagen / daß sie das Lehen-Recht in Erb-Fällen für unbillich hielten / es wäre aber durch Zwang eingetrieben worden ; sondern vornemlich was Eppichen Ellen anlangt / kein einiger Fall / daß auch von der Seiten-Linie von Erbstücken die Lehen-Wahr daselbst abgestattet worden / dargehan / die im Document lit. D. gemeldte Fälle andernwärts / und der eine An. 1680. der andere An. 1685. und also der letztere / nur ein Jahr vor erregten Procesß / sich zugetragen / daß der gestalt das angegebene alte Herkommen / vermöge dessen in des Orts Gerichten / auch von Erbstücken / und zwar in der Seiten-Linie / die Lehen-Wahr abgestattet werden müste / nicht erwiesen. & idem cent. 9. decif. 8 2 8. in verbis : Dieweil aber dennoch dasselbe unstrittig adeliche Lehen / und davon der jährliche Canon entrichtet wird ; daher es auch dem Domino directo das Lehen-Geld zu bringen muß. L. f. C. de Jur. Emphyt. die Gewohnheit auch von dem Amt in diesem individuo nich darzuthun.

## §. X.

Secus se res habet in Observantia Præsumptiva, quæ pro iuris scripti tam communis, quam statutarii vigore, tam diu donec probetur contrarium, militat. Lauterb. *Concl. For. Ex. 1. th. 1.* hæc quemadmodum ad sui existentiam nullos actus exercitos & frequentatos supponit, ita nec probatione indiget, cum adesse præsumatur à jure, unde ille, qui Legem scriptam semel promulgatam allegat, & in ea suam intentionem fundat, ejusdem observantiam non ostendere tenetur, sed ille qui tale ius abrogatum adstruit, vel expressam legem contrariam, vel consuetudinem ad amissim probare cogitur, unde cum Mynsinger B. Lauterb. *Concl. Forens. Ex. 20. concl. 6.* scribit: haud sufficere, si probetur per multa lustra neminem L. 6. C. de secund. nupt. beneficium implorasse, & multos liberos prioris matrimonii, vel ex dicti juris ignorantia, vel ex reverentia erga parentes, aliaque causa dispositiones contra istam legem factas non impugnasse, atque ita quodammodo tacite eidem renunciasse.

C 2

Talem

Talem namque non usum non abrogare vel tollere usum juris, certum est, cum utique diversa sint beneficii omissione, & legis istud beneficium concedentis abrogatio. Dn. Harprecht, *Conf. Tab. 18. n. 340.*

## §. XI.

Aliter autem se res habet ubique circa Observantiam judicium Interpretativam, haec utut nullum jus novum constituit, sed duntaxat jus antecedenter existens interpretetur atque declareret, atque demonstraret, quantum cuique tam de praeterito, quam de futuro juris competit, arg. L. 12. & seqq. ff. de LL. Rota Rom. decif. p. 1. decif. 382. n. 8. Goeddeus in *Conf. Marburg. Vol. III. conf. 32. n. 64.* Harprecht. *Conf. 49. n. 58.* tamen aequa ac juris inductiva ab allegante probanda venit, quanquam ad hujus existentiam etiam unicus actus probatus sufficiens sit Illustr. L. B. de Lynker *Respons. 177. n. 3.* & *Respons. 186. n. 5.* Harprecht *Reff. 31. n. 77. & 78.* Consil. Tubing. *conf. 90. n. 50.* & Besold. *Thesaur. Pract. verbo: Usurpanz,* allegatur. Item Harprecht *Reff. 60. P. 1. n. 490.* ibi: Observantiam quæ notorie per unicum actum inducitur, observante post Menochium & Decianum Speidelio in *Spec. voce: Observanz, in pr. Additionator Coll. Jur. Argent. tit. de LL. th. 44.* Mevius *Conf. 49. n. 21.* longum tempus tamen non debet probari, sicuti interdum probari debet in observantia inductiva, laudatus Dn. de Lynker cit. *Respons. 31. n. 78.* quæ in consuetudinem & jus quæsumum abit, unde longævus usus & observantia circa jurisdictionalia cumprimis ceu lex attenditur, das alte Herkommen/ quod vulgo Nostrates antiquam observantiam interpretantur. Weherier *Obs. Pract. voce: Herkommen/ Besold. Thesaur. Pract. voce: Observanz,* Harprecht. cit. *conf. 49. n. 55.* Huc faciunt verba Addit. Reform. Noric. d. 24. Julii An. 1564. tit. Wie in denen Gerichtlichen Executions- und Einsätzungs- Sachen gehandelt werden solle, ibi: Nachdem aber solches von alten also bei dieser Stadt Herkommen/ und die Gerichten allhier nicht alicin die Executio erkennet/ sondern auch in äusseren Territoria die gewöhnliche Theil

Theil würcklich eingesezt haben / wie denn desz viel exempla und  
Fäll vorhanden / da der Richter re ipsa in Bambergischen / Alch-  
stättischen / Marggräfischen und andern Orten mehr / ohne Ein-  
red und Widersprechen der Obrigkeit des Orts / da die Eins-  
tzungs-Güter gelegen / gethan ; sondern daß auch die Eigen-  
herren ihre ungehorsame Zins- und Erb-Leute aus fremden ter-  
ritorien Obrigkeiten und Gebietzen herein führen / und in desz  
selben territorien pfanden lassen. So ist nicht zu rathen / daß  
sich ein E. Rath dieses alten Herkommens einsetzen lasse / wie  
denn auch vor 30. Jahren derowegen etliche Rathschläge ge-  
faßt / und dahin geschlossen worden / daß man sich bey solchen  
alten Herkommen so viel immer möglich handhaben soll. Illustr.  
L. B. de Lyncker cit. Decis. 602. in med. Und überdieses hat  
Henneberg die antiquissimam observantiam vor sich : die so gar  
eine Verjährung geben könnte. Pantzschm. L. I. qu. 22. n. 29.

### §. XII.

Ex his ita expositis facili negotio nunc de effectu præsen-  
tis observantia judicialis est judicandum ; quod quidem Præ-  
sumptiva observantia non jus constitutat, sed potius scripta lex  
ipsa , pro cuius vigore præsumitur. Observantia juris Inducti-  
va utique jus non scriptum faciat , legisque vigorem habeat.  
Dn. Harprecht Conf. 49. n. 55. & seqq. Vol. IV. Bockelm. ad  
ff. tit. de LL. Observantia autem Interpretativa equidem vim  
& efficaciam leges interpretandi habeat , atque instar authen-  
ticæ interpretationis sit , sed lex ipsa potius , quam declaravit,  
pro constituto jure habeat ; ipsaque duntaxat ejus particula de-  
clarativa existat. Franzk. ad ff. tit. de LL.

### §. XIII.

Nec minus hæc observantia judicialis sese exserit tam circa  
Transactiones & Recessus, nec non pacta, quam circa Ultimas vo-  
luntas , si nempe de genuino horum negotiorum intellectu  
judex sententiam ferre tenetur , unde non minus quid hic retro  
fuerit actum , & utrinque ipso facto admissum & toleratum re-  
spicit, reficit atque attendit ; nam concessionum interpres au-

dit, investiturae eadem nituntur. Dn. de Lynker *Resp.* 108. n. 12.  
 & 13. possessiones hac definiuntur. arg. *L. 12. ff. de LL. Geddeus*  
*Vol. III. Cons. Marpurg.* 32. n. 64. possessorum isthac firmatur.  
*Lynker. Resp.* 89. n. 1. & *Resp.* 24. n. 37. Pertinent huc verba,  
 quae laudatus hic Author cent. 12. *Decis.* 1177. circa me-  
 dium protulit: Demnach nicht allein bekannt / daß die partes Ju-  
 risdictionis inferioris unterschiedlich; sondern auch vornehmlich  
 an Orten / wo etliche Obrigkeit sich befindet / auf die observanz  
 und Herkommen / welches Stück zu dieses oder jenes Magistrats  
 Verwaltung geschlagen / oder derselbe in Übung habe / zusehen/  
*Carpz. L. 1. Resp.* 49. n. 78. & *Quæst. crim.* 109. n. 38. wel-  
 ches Herkommen keinen weitern Titul bedarf sc.

#### §. XIV.

Cum ergo Observantia præmissa judicialis ubique vel jus  
 præsens arguat, vel indubium faciat, ac judici normam judicandi  
 præbeat, hic vix ac ne vix quidem de ista potest recedere, sed  
 ubique observantiam ad amissim sequi tenetur. pr. *Inst. de Off.*  
*Jud.* nisi velit, ut ejusdem judicium & sententia nullitatis que-  
 rela impugnetur. *L. 5. C. de LL. L. 4. C. de sentent.* & *interloc.*  
*Reces. Imp. de A. 1570. §. 75. & 76.* Hinc si contra talem obser-  
 vantiam receptam fuerit judicatum judex litem perinde suam  
 facit, ac si contra ius commune pronunciasset. *Andr. Gaius L. 1.*  
*Obs. 36. n. 36.* etenim minister duntaxat Legislatoris est, quare  
 secundum hocce ius tam scriptum, quam non scriptum judicare  
 necessum habet, & ad hoc primum promulgatae sunt Leges, ut  
 & vita rationem Reipublicæ conformem instituat, & si quid in-  
 juria factum fuerit, juxta eas in judiciis emendetur. *c. 3. diss. 4.*  
 in verbis: non licebit judicis de ipsis judicare, sed secundum  
 ipsas. *Ziegler in Dicast. Conclus. 36. §. 15.*

#### §. XV.

Præter hanc judiciale Obseruantiam etiam usum & utili-  
 tatem observantiae conspicimus in extra judicialibus negotiis.  
 Sic observantia ejusmodi æstimatur, quod res quæ in feudum  
 ab Episcopo vel alio Ecclesiæ Prælato semel sub legitimis requisiti-

tis hanc in rem necessariis cum causæ cognitione & consensu capituli sint dataæ, habeantur pro rebus in feudum dari solitis. Horn. in *Prudent. Feudal.* c. 5. §. 6. Quanquam juris interpretes heic dissentiant, ceu patet ex eis, quæ hanc in rem proponit Rosenthal. de *Feud.* L. 4. c. 29. & seqq. non tamen est ut à priori asserto recedam; cum enim jam res legitime ad hunc usum sit destinata, quid opus est lapsu temporis. Id tamen facile concederim, si non constat rem in feudum primitus concessam servatis solennitatibus, licet concessio feudi saepius sit repetita, tamen non ante dici rem in feudum dari solitam, nisi à prima investitura tempus, cujus memoria non extat, elapsum inveniatur. arg. c. 1. §. 1. de *præscript. in oto.* Quodsi autem duntaxat dubitatur, utrum res ab initio legitime sit data in feudum? XI. annorum lapsum sufficere tradit Schrader de *Feud.* p. 4. c. 2. n. 25. & seqq. conf. Bruckner. *Disp. de rebus infeudari & subinfeudari solitis per tot. modo res sint tales, quæ nec alienationem, nec præscriptionem respuant.* Dn de Lynker. *Resp. 2. n. 177. & 178.*

## §. XVI.

Nec minus inter pacientes & eos, qui controversias inter se recessibus & transactionibus diremerunt: observantiam extrajudicialem ceu regulam adhiberi in aprico est, utique tam usus præteritus, quam concomitans & subsequens satis arguit, quounque hic vel ille hos vel illos actus exercere valeat. conf. Lynker. *Cent. 12. Decis. 1177. per tot. & Cent. 10. Decis. 961.* ibi: Alldeweiln aber die Ambts-Bücher und Trohn-Register / daß die Dorffschafften die daselbst beschriebene Dienste zu leisten schuldig / und voriger Zeit unverweigerlich geleistet / unlängbar/ solche Bücher auch ohnedem plenam fidem haben. L. 4. de *Censi- bus.* L. 10. de *Probat.* Mevius IV. *Decis. 179.* und disfals durch die damahlige observanz genugsam bestärcket seynd. laud. Lynker. *Cent. 8. Decis. 764.* Nachdem aber hingegen angeregtes Pactum von allodiis immobilibus, acquisitis und acquirendis redet; zu dergleichen solche Bergtheile gehörig: auch per observantiam familiæ bei begebenden Fällen/ daß Pactum darauf interpretirt.

De

De efficacia observantiae ex actibus anterioribus in pactis familie,  
Majoratibus & Senioratibus testatur præter Goldastum de Majorat.  
L. 1. c. 5. Dn. Harprecht. Resp. 60. n. 858. P. 1. In Transactionibus non minus suam energiam prodiit. c. contingit. 3. in  
verbis: si fuerit aliquot annos servata. s. de Transact. Harprecht cit. Resp. 60. n. 493.

## §. XVII.

Similiter observantiam extrajudiciale satis notam & cognitam  
esse circa filias nobiles Franconicas & Suelicas, bey denen Adelichen  
Berzicht. Tochter! quæ ubique ferè ex familiarum nobilium obser-  
vantia prætenfa, certa dote contentæ esse, & hereditati à parentibus  
& fratribus suis sperandæ renunciare tenentur, quanquam enim hæ-  
ipso jure citra talem intercedentem renunciationem pro exclusis ad he-  
reditate non habeantur, ceu prolixe ostenditur à Mynsingero decad. 1.  
Resp. 10. n. 31. & Kellenbenz. de Renunciation. Success. Qu. 7. per tot.  
Harprecht. Resp. 39. n. 114. Vol. 1. Usu tamen fere & observantia in-  
ter Nobiles Franconiae & Sueviae invaluit, ut suas filias non aliter elo-  
cent, nisi hæ promittant renunciare; quod pactum de renunciando tam  
efficax est ad filiarum exclusionem, quam ipsa jam tum facta renuncia-  
tio, teste laudato Dn. Harprecht. Conf. Tubing. 2. n. 26. § 28. Vol. 1.

## §. XVIII.

Denique observantiam etiam ultimas voluntates & mortis causa  
dispositiones firmare & declarare æque parum dubii habet, v. g. si di-  
spositum in ultima voluntate, ut foemina ab hereditate usque ad des-  
cendentiam masculorum exclusæ esse debeant, si enim semel ad successio-  
nem admisæ fuerint, tunc impostherum removeti haud debent, ex eo,  
quod semel ita fuit observatum. Surd. Conf. 370. n. 19. Fusar. de substi-  
tut. qu. 484. n. 72. vers. declaratur vigesimo quarto. Harprecht. Resp. 60.  
n. 490. unde liquet, quod observantia etiam unico actu manifesta, pari-  
ter impostherum attendi mereatur, & vice versa, si foemina semel fidei  
commissa familie, vel gentilitio sint exclusæ, porro non admittantur.

## §. XIX.

Ex hacce sunt, quæ circa doctrinam de obseruantia & judiciali & extrajudiciali  
potissimum notanda mili via sunt. Fatoe longe plures & limatiiores de ea observantia  
in medium potuisse ac debuisse proferri. Verum cum haec pagina, ut supra in initio  
statim monui, rancum Academicum Specimini destinata sint, & ego temporis penuria ex-  
clusus, majorum Scriptorum Practicorum copiam consulere, eorumque decisionibus &  
observationibus illustrare hanc opellam haud poterim, hinc filium differendi abrumpo,  
à Benevolo autem Lectore in iis, quæ forsitan minus recte scripsi, veniam eo facilius mihi  
promitto, quo promptior sum ad mutandam sententiam, si meliora edocitus fuero. Interim  
DEO TER OPTIMO MAXIMO pro concessis viribus sit Laus & Gloria in æternum.





Altdorf, Diss., 1714

X. 234491


VD18

ULB Halle  
007 791 658

3







Q. D. B. V.  
TATIO IN AVGVRALIS  
JVRIDICA  
DE  
ERVANTIA,  
QVAM  
TISSIMI PRAESIDIO,  
MAGNIFICI  
ICTORVM  
VERSITATE ALTDORFINA  
ORDINIS  
BENEVOLO INDVLTV,  
O LICENTIA,  
S IN VTROQVE JVRE  
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA  
RITE CONSEQUENDI,  
. XVIII. SEPTEMBR. A. O. R. MDCCXIV.  
H. L. Q. C.  
ET SOLENNI ERUDITORVM EXAMINI  
SUBMITTIT  
JNES GEORGIVS Linßmayer/  
NORIMBERGENSIS.

ALTORFIL,  
LITERIS MAGNI DANIELIS MEYERI.

KON.FRIED  
UNIVERS.  
ZV HALLE

5.12 num 28

3